



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

§. 2. An ratione contemptus, veniale transeat in mortale?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

ferre potest legem obligantem, secundum totum quod potest vel solum obligantem scilicet, & secundum maiorem obligationem, quam potest imponere.

Ad quantum negati possit consequentia; posito enim voto, & iuramento, non pendet ex voluntate vouentis, & iurantis obligatio, sed ex iure acquisito Dei, ac proinde non mutum si vouens, vel iurans non possit se ad venialem culpam obligare in materia graui; secus vero possit legiflor, cuius voluntate sicut potest tolli obligatio, potest & diminui, secundum respon- deo negando vouentem non posse se ad venialem culpam in materia graui obligare, quia sicut omnis obligatio à sua volun- tate ortum habuit, ita potuit ortum habere limitato modo, & non secundum omnem materiam capaciatem, & ita docet Th. Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 9. num. 6. secus dicendum existi- timo de iuramento, in quo Deum in testem, & fideiusso- rem rei promissa adducis: in hoc enim non potes limitate obli- gationem ad veniale, si materia grauis est; quia non pendet à tua voluntate obligatio implendi promissum, Nam etiam si in initio haberes animum non implendi; vel non te obligandi, si tamen iuras, debes implere.

Ad sextum respondeo primò negando antecedens, quod ne- gat, suarez tom. 4. de penitent. disp. 3. sect. 7. n. 5. Medina r. de confess. tract. 2. quæst. 48. Diximus namque pro voluntate Con- fessoris coactari posse obligationem penitentia, quia est quæ- dam lex, & præceptum, & conditione legis & præcepti humani fortiri debet. Secundò respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, Et ratio diuersitatis, quia Confes- sarius non imponit nomine proprio satisfactionem, sed nomine Christi & vices illius gerens: Christus autem non præsumit velle grauem satisfactionem leui obligatione adstringere. Ergo. Item penitens non obligatur satisfactionem exequi virtute solius Præcepti à Confessario impositi, sed etiam virtute sa- cramenti recepti, ne sacramentum imperfectum relinquat: hæc autem obligatio si materia grauis est, non videtur esse posse venialis, & ita tenet Coninch de sacram. disp. 10. de penit. dub. 8. n. 65. Bonacina disp. 5. de sacram. penit. q. 5. sect. 3. p. 4. n. 4. fin. Ioann. Sanchez disp. 15. sect. 2. num. 16. Ochagan. tract. de satis- fact. q. 8. m. 7. & alij.

PUNCTVM IX.

Quibus modis veniale peccatum transeat in mortale.

Multipliciter hoc contingit. Primò si vltimus finis in peccato veniali constituitur, vel ei mortalis sit adiunctus. Secundò ratione contemptus, Tertio si occasio, & periculum proximum sit incidendum in mortale. Quarto si sæpe multiplicetur. Quinto si proximum scandalizet, de his omnibus sigilla- tim est dicendum

§. I.

Qua ratione peccatum veniale in mortale transeat ratione finis.

- 1 Si finis est mortalis, mortale est.
- 2 Si finis est venialis, & medium mortale, peccatum est mortale.
- 3 Distinctio Suarez, & Sanchez non admittitur.
- 4 Sufficit explicare in confessione malitiam mortalem medijs, tacito sine veniali.

1 **C**ertum est apud omnes peccatum esse mortale, si quis ex affectu fornicationis mentiat, vel aliud veniale committat, quia habet affectum & voluntatem peccandi mortaliter; quia huiusmodi affectus extrinsecus est, & peccatum veniale, quod vt medium assumitur, non immutat, ideo declarato in confessione affectu, veniale peccatum declarari non est necesse, docet Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 5. num. 7. Reginald. lib. 6. num. 129. Bonacina de penit. disp. 5. quæst. 5. sect. 2. p. 2. diff. 3. n. 27. § decimo octauo.

2 **E**contra si ob studium, vel iactantiam, vel alium vanum finem, omittis sacrum, forniceris vel occidas, videris non solum peccatum fornicationis, vel homicidij committere, sed etiam iactantia grauis necessitatio in confessione explicanda. Probo quia amorem illius obiecti creati præfers amicitia diuina: si- quidem ob illius consecutionem nihil pendes peccate mortali- ter. Ergo talis amor inordinatus est: ergo non solum peccas peccato fornicationis, quod ob illius consecutionem admittis, sed etiam alio speciali peccato; & confirmo, qui futurus, vt fornicetur, magis est honestus, quam fur: quia malitia potius ex fine, quam ex medijs desumitur. Ergo qui ob studium vt iactantiam, vel alium vanum finem, sacrum omittit, fornicatur, aut occidit, magis est censendus curiosus, vanus, aut iu- perbus, quam sacrilegus, intemperans, vel iniustus. Ergo

magis ex amore finis, quam ex amore mediolorum debet ma- litia delumi,

3 in hac re Suarez tom. 4. in 2. disp. 12. sect. 4. n. 11. & ex illo Thom. Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 5. n. 15. affirmat dupliciter ex fine veniali re operari posse. Primo ex vehementi, & inordi- nato ad illum affectu. Secundò ex tua libertate, & facilitate. Si primo modo operaris, debes (inquirit) circumstantiam finis fieri: secus si secundo modo. Probat priorem partem, eo quod veniale efficiatur mortale, quoties in eius obiecto vlti- mus finis constituitur, secundum probant; quia tota malitia in præcepti omissione consistit, atque ex ea in finem redundat: quare explicata omissionis malitia tota culpa explicatur.

4 **F**ateor tamen hanc distinctionem non percipere, non enim intelligere possum in quo vehemens, & inordinatus ille affectus consistit: quia non consistere potest in aliqua graduam intentione, hæc enim de peccato veniali nunquam mortale constituit & ad præiens institutum esse omnino talem inten- tionem impartientem, tradit ipse Sanchez supra n. 140. Ergo so- lum consistere potest in eo quod ex eius amore non dubites peccatum mortale committere: satis enim inordinate proce- dis; & nescio quomodo potest esse maior inordinatio. Ergo vel dicendum est circumstantiam finis venialis semper faciendam esse, vt probant rationes n. 3. allatae; vel nunquam esse necesse- rio faciendam quod probabilis existimo, sed iustitiae explicata- re malitiam medijs assumpti: ita videtur sentire Bonacina disp. 2. de peccat. q. 3. p. 5. num. 2. vbi eodem modo loquitur quando peccato veniali finis mortalis adiungitur: ac quando fini veniali mortalis electio copulatur, & in materia de penitentia loco citato de veritate casu dicit non esse necessarium in confessione fieri malitiam venialis, sed mortalis malitia declarata satis esse: idem tenet expressè Azor tom. 1. lib. 2. instit. mor. cap. 3. quæst. 7. sine vlla distinctione. Ratio est simplicissima: nam vel ille affectus, qui est causa amplectendi peccatum mortale, ver- satur circa obiectum bonum, vel indifferens, vel malum: si cir- ca obiectum bonum, vel indifferens, nullam inde recipit mali- tiam. Ergo tota malitia est ex electione medijs. Ergo decla- rata tali electione in confessione; manifestissime tota malitia declaratur: si vero versatur circa obiectum malum, clarum est declarari debere, si graue sit, secus si solum venialiter delinquit. Et confirmo si ex affectu vehementi, & inordinato studendi vel equitandi vel furandi leuem quantitatem sacrum omittes- res? ideo an talis affectus sit irreligiōsus, sacrilegiō distincto ab omissione facti, vel non? Dici non potest esse sacrilegiū sa- crilegiō distinctum; cum equitatio vel studium, vel furum ad religionem nullo modo pertineant: & alias cum aliquis fura- retur rem grauem, vt fornicaretur, non solum in furto, sed etiam in fornicatione duplex esset malitia mortalis, altera ini- iustitiae, altera intemperantiae; quod certe est inauditum: non enim multiplicari debent peccata absque necessitate. Ergo di- cendum est affectum finis solum esse malum, vel ex malitia propria, vel denominatiue ab electione. Malitia autem propria esse non potest mortalis; cum circa rem bonam, vel indifferen- tem, vel leuius malam versetur, vt suppono. Ergo solum ma- litia medijs est declaranda in confessione necessario, & non ma- litia finis venialis.

Neque obstat quod dicit D. Thom. 1. 2. q. 88. art. 5 ab om- nibus receptus, veniale transire in mortale quando in eo vlti- mus finis constituitur: concedo enim transire in mortale; sed non malitia distincta ab eo ratione cuius transit.

§. II.

An ratione contemptus veniale transeat in mortale.

- 1 Transgressio legis contemptus est, & qua ratione contingat.
- 2 Si iungitur transgressioni legis, duplex peccatum facit.
- 3 In qua specie peccati contemptus sit.
- 4 Circa præceptum & consilia versatur contemptus.
- 5 An possit dari contemptus formalis, qui solum peccati venia- le sit præponitur ratio adhibendi, cui assentiunt plures Doctores.
- 6 Resoluitur contemptus formalis semper esse mortale peccati.

1 **C**ertum est quamlibet legis transgressionem siue mor- talem, siue venialem, esse aliquem contemptum: con- temtor enim legem, qui delinquit in legem: postponit enim eius obseruantiam propriae voluntati, & vilitati. At hic con- temptus vocatur materialis, quia in ipsa materia, & opere pec- caminoso imbitur & quia non habet malitiam distinctam ab ipsa legis transgressionem sed per omnes transgressiones vagatur, vt bene dixit D. Thom. ab omnibus receptus in 4. disp. 19. art. 3. quæst. 3. De huiusmodi contemptu non loquuntur in præ- senti, cum tatione huius peccatum veniale non transeat in mortale, sed immutatur per se. Alius est contemptus formali- malis, de quo in præsentibus hic procedit ex intentione formali- despiciendi aliquam personam cuius præcepta, & consilia

Hic

Hic autem contemptus, ut bene dixit Suarez, lib. 3. de legib. cap. 8. n. 15. potest esse in intellectu, & in voluntate in intellectu est, quando sine violo fundamentum, & ratione iudicatur res aliqua, vel persona minori estimatione digna: quam par est: quia actus si circa Deum versetur, erit blasphemus: si circa homines erit iudicium temerarium, cuius gravitas ex gravitate obiecti mensuranda est. Ad peccatum contemptus hic error intellectus non requiritur: in voluntate autem est contemptus, si velis personam vel eius precepta, & consilia, pro nihilo habere: hanc voluntatem subsequitur opus, quo intendis personam illam vel eius precepta & consilia ostendere parum estimari debere.

Ex hac doctrina inferetur primo contemptum legis esse speciale peccatum distinctum ab illius transgressione: ac proprie esse necessarium explicandum, colligitur ex D. Th. communi- ter recepto 2. 2. q. 186. artic. 9. v. g. si omittas sacrum die festo ex contemptu legis, duplex peccatum committis, & omissione facti debiti, & contemptum precepti, Probo, quia violans ex contemptu legem non solum peccas peccato contrario legis violatae: sed etiam peccas, quia ex contemptu illam violas. Nam si hic contemptus, etiam sine voluntate legem transgrediendi adesse, quis dubitat peccatum grave fore. Ergo ex eo quod transgressio legis iungatur, non auferit malitiam. Neque potest malitiam transgressionis habere, cum indifferens sit iungi causaliter legis transgressioni, ita tradit Valent. 1. 2. disp. 7. q. 6. punct. 6. casu. 1. Th. Sanchez, lib. 1. in decalog. c. 5. n. 6. Bonac. disp. 2. de peccat. q. 3. punct. 5. n. 16.

Sed inquires, in qua specie peccati contemptus sit? Respondeo si circa Deum, & eius precepta, & consilia contemp- tui peccatum erit contra religionem; religio enim Dei te obligat debiti cultum, & honorem Deo exhibere, & conse- quenter illam non despiciere: si circa personam contemptus sit, est peccatum contra pietatem eadem ratione, pietas enim virtu- tis est obligans revereri parentes, & conflaguones? si circa Praefatos & superiores, est aduersus, obsequium; & obedi- entiam illis debitam: nullo tamen modo est formaliter contra obedientiam, potest enim despicere superior, quin eius precepta despiciatur. Quare inobedientia formalis, non est formalis contemptus, sed aliquando contemptum praesupponit, aliquando non solum nascitur ex superioris despectu, & abiecta illius estimatione, ut regulariter solet, contemptum praesupponit: si tamen ex indignatione illius, praesupponit odium si ex propria estimatione, & arrogancia, arguit superbiam: semper enim inobediens formaliter habet aliquid ex his moribus: nam precisè ad inobedientiam moveri non poterat: nemo enim intendens ad malum operari, Quod si contemptus venitur circa alias personas, minoris, quam spat est illas aestimando, est actus iniustus, ex iustitia enim culter debetur reverentia, honor, & aestimatio iuxta eius qualitatem: si tamen velis illum aliter tractare, iniuriam illi irrogas.

Inferetur secundo contemptum non solum versari posse circa precepta, sed etiam circa consilia: haec enim contempti possunt, ut vana & inutilia. Quod si ita contemnatur, quis dubitat, peccatum committit: ita tradit Suarez, lib. 3. de legib. c. 2. n. 13. Azor. tom. 1. in sum. moral. lib. 12. c. 13. q. 1. Thom. Sanchez, lib. 6. in Decalog. cap. 1. n. 3. & Suarez, de legib. lib. 3. cap. 18. in fine. Bonac. su- pra, n. 13. Ex quo fit laetius patere contemptum, quam inobedi- entiam formalem, cum haec solum sit circa precepta: contem- ptus esse potest circa consilia & circa personam, ut tenent su- pra dicti Doctores.

Difficultas praecipua est, an possit dari contemptus for- malis, qui in veniale peccatum sit.

Ratio dubitandi est, quia potest contemptus versari circa materiam leuem: potes enim contemner legem, cuiusque precepta non absolute, sed quatenus sunt in hac materia leui v. g. in silentio seruando: sed tunc, contemptus non videtur gra- vis, sed leuis leuem enim iniuriam videtur legislatori irrogare leuia eius precepta contemptus, graui, aestimans.

Propter hanc rationem plures Doctores affirmant dari posse peccatum veniale contemptus, sicut & inobedientiae formalis, si preceptum superioris contemnas, non absolute, sed quatenus est in materia leui: tenet Caietanus sum. verb. contemptus v. aduerte hic, ibi Armillia num. 3. Bartholom. de Medina 1. 2. quaest. 88. artic. 4. sine. Valent. 1. 2. disp. 7. quaest. 5. punct. 5. 6. in 1. casu. & 2. 2. disp. 8. quaest. 3. punct. 3. v. v. c. eate- rium, conuenit Leonardus Lessius lib. 1. de iustit. c. 46. d. 6. n. 45. & 46. loquens exprisse non solum de legislatore humano sed etiam diuino: & affirmans, si nolis illis parere in rebus mini- mis, ut ostendas eorum minima precepta te parui facere, non esse mortale: conuenit Thomas Sanchez lib. 1. in Decalog. cap. 5. n. 11. & 12. in fine, in legislatore humano secus in diuino.

Dico igitur primo formalem contemptum Dei seu, de Deo indignam estimationem habere, aut illam aliquo signo ostende- re, semper esse mortale: continet enim tacitam blasphemiam: in hoc omnes conueniunt, Suarez, n. 23. Bonac. disp. 2. de pecc. quaest. 1. 2. 5. numer. 10. Salas de legib. disp. 10. sect. 8. numer. 38. Idem est, si nolis Deo in re leui obedire, ne illum solatio afficias neque eius beneplacitum facias: est enim actus odij, grauisque iniuria & ostendit satis animum deprauatum, sic. Ioan. Sanc. Fer. de Castro, Sum. Mor. Pars 1.

disp. 7. sect. num. 13. Suarez, lib. 3. cap. 23. numer. 13.

Dico secundo, formalis contemptus diuini precepti etiam leuissimi, & cuiusvis consilii est semper mortale, Th. Sanchez, su- pra, n. 11. sine. Ratio est, quia tacite ipsum Deum despicias, cuius precepta consilium contemnis. Item si precepta diuina, & con- silia contemnis, quia vana, & inutilia, nemini esse potest dubium esse grauisimum peccatum, ut ipsemet Leonardus faceret. Suarez, lib. 3. de legib. c. 28. n. 22. sed non videtur esse posse circa illa alius formalis contemptus. Dicere namq; te illa contemneris: eo quod vis ostendere te illa parui facere, non satisfacit. Rogo enim in quo stat te velle ostendere, parui facere precepta diuina leuis- sima, seu consilia. Non enim consistit in eo quod illa transgre- diaris: quia velle ostendere te transgredi preceptum diuinum non est contemptus formalis alias quoties te laudas de pecca- to commisso, vel vis peccatum committere in praesentia ali- quorum, diceris precepta diuina formaliter contemneris, quod non est concedendum. Neque etiam stare potest in eo quod vel- lis ostendere precepta illa leuia necessaria non esse ad salutem, & multo minus consilia: nam hoc est verissimum, & in hac ostensione contemptus esse non potest: contemptus enim non est, quoties est vera tui aestimatio. Restat ergo, ut contemners precepta, vel consilia diuina, illa contemnas: ut vana & inutilia, vel saltem ut minus vtilia minusque contententia, quam de facto sunt: sed hoc, meo iudicio, continet tacitam blasphemiam, derogat enim aestimationi debita precepti diuini, & consilii. Ergo est peccatum mortale.

Dico tertio contemptus legislatoris humani, quatenus leg- islator est seu violatio cuiuscumque legis precepti, & consi- lii ipsius, ex tali contemptu semper reputo esse peccatum mor- tale, non solum in graui materia, ut ferè omnes dicunt, sed etiam in leui. Ratio est, quia esse rem leuem quae tibi impe- rata est non obstat quominus tibi imperetur ex eadem pote- state: quia imperatur res grauis. Ergo si ex contemptu huius po- testatis preceptum leue violas ita grauitur peccas, ac si violares preceptum graue. Item potestas imperandi tibi rem leuem, à Deo dimanar, sicut dimanar potestas imperandi rem grauem: Ergo cum illam contemnis bonum ipsius Dei contemnis. Ergo Deo irrogas iniuriam: tacite enim Deum temnis tenendo eius potestatem: hac enim ratione dixit Christus Lucae 10. Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit, ita Bonacina n. 10. Suarez n. 24. & in hoc sensu explicari potest, quod dixit Angu- stinus relatus in cap. vnum orarium, distict. 2. §. hinc. auem nullum scilicet esse peccatum veniale, quod non fiat mortale si placet, quando placet, inquam ex legis contemptu: sic expli- cat Sanchez lib. 1. cap. 5. num. 16. vel quando placet ex contem- ptu. Deo ut explicat, Suarez num. 23. in fine. Verum si superior tē- tatur non quatenus superior est sed quatenus est infimae for- tis, indoctus imprudens & ex huiusmodi contemptu nolis ci- obedire in re leui, non erit peccatum mortale, quia tunc non contemnitur formaliter eius potestas, contemnitur enim eius persona ob defectus quos habet, potest ergo huiusmodi contem- ptus venialis esse, sicut & murmuratio, & detractio. Item si ex indignatione leui, & prauo aliquo affectu, erga superiorem nolis illi obedire in re leui, non est mortalis talis inobedientia neque talis indignatio, & prauus affectus charitatis grauitur laedit, ut tenet Lessius n. 46. Sanchez n. 12. Bonacina n. 13. Ergo neque etiam supradictus contemptus superioris laedit grauitur reuerentiam illi debitam, & ita tenet Sanchez in sum. lib. 1. cap. 5. num. 8. 12. & 13. Suarez, de legib. lib. 3. cap. 28. num. 24. Lessius n. 46. Bonacina num. 10. & 11. Castro lib. 1. de leg. p. anal. cap. 5. conclus. 2. Ioan. Sanchez disp. 7. sect. num. 13.

Ex qua doctrina inferi Bonacina num. 11. excusari à mortali clericos seminarii vel aliorum collegiorum, nolentes obedi- re suis praefectis, ex quodam ipsorum contemptus, quia tales praefecti veram potestatem non habent, nec vere superiores sunt, & sic potius videntur contemni: ut particulares homines ob aliquas ipsorum imperfectiones, quam ut superiores.

Dico vltimo contemner alias personas, quae superiores non sunt aliquando est mortale, aliquando veniale pro materiae grauitate, vel leuitate cum enim peccatum hoc iniustitiae sit, recipit magis, & minus colligitur ex doctoribus supra relatis.

§. III.

An peccatum veniale fieri possit mortale ratione periculi.

1. Esse peccatum mortale, si sit occasio proxima illius.
2. Quod sit periculum proximum peccandi.
3. Proponitur triplex agenda quaestio.
4. Propositum committendi omnia venialia esse mortale.
5. Resoluitur supradicta sententia.
6. Soluitur fundamentum num. 4. positum.
7. Qui dicant non esse licitum ob vllam causam te periculo pec- candi exponere, & quomodo probent.
8. Exponitur quomodo liceat te periculo peccandi exponere.
9. Soluitur fundamentum num. 7. adductum.